

1527 ad 1533 = 284 et 20

Petrus Tomicki vicecancellarius, Bona
reginae Poloniae.

52

Sacra reginalis maiestas et domina domina
mea clementissima. Post servitutis et ora:
tionum mearum humilem commendationem.
Post obitum Joannis Salomonis canonici
ecclesiae meae Cracoviensis, nullum extat bene:
ficium, quod regiae maiestatis collationis exi:
steret. Unum erat quod ad collationem sua
maiestatis pertinebat, decanatus videlicet San:
dominiensis, sed hunc quoque adhuc vivente
eodem Salomone, impetravit magnificus do:
minus castellanus Cracoviensis nescio in
quem usum, caetera beneficia aliene colla:
tionis sunt. Quare si voluntati maiestatis
vestrae nunc minime mos geri potest; mini:
me dubito illam pro summa sua clemenc:
tia et prudentia facile condonaturam. Suppe:
ditabit fortuna tempus, quo et voluntati ma:
iestatis vestrae diligentissime intendetur. Con:
ventus noster quantum ad res domesticas
attinet, iam absolutus est. Restat oratorum
regum absolutio et dimissio, de qua his
diebus accurate agetur, qua peracta regia
maiestas isthuc accurrere properabit ad ma:
iestatem vestram reginalem, quam Deus o:
ptimus maximus cum clarissima prole
sua optime valentem diutissime conservet,

cui

cui me iterum cum orationibus et servitiis
meis perpetuo commendo.